MONUMENTA
SACRA ET PROFANA

OPERA

COLLEGII DOCTORUM BIBLIOTECAE AMBROSIANAE

Tom. II. — Fasc. I.

MONUMENTA

SACRA ET PROFANA

OPERA

COLLEGII DOCTORUM BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE

TOM. II.

MONUMENTA
SACRA ET PROFANA

EX CODICIBUS PRAESERTIM

BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE

OPERA

COLLEGII DOCTORUM EJUSDEM

TOMUS II.

PENTATEUCHI SYRO-HEXAPLARIS QUAE SUPERSUNT CUM NOTIS.
ACCEDUNT NONNULLA ALIA FRAGMENTA SYRIACA.

EDIDIT

SAC. OBL. ANTONIUS MARIA CERIANI

DOCTOR COLLEGII BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE.

MEDIOLANI. MDCCCLXIII

TYPIS ET IMPENSIS BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE.

Die 15 Januarii 1863.

ADMITTITUR

P.[r] VITTADINI FELIX PRO EXCELL.[mo] ET REVER.[mo] D. D. CAROLO E COMITIBUS CACCIA EPISCOPO FAMAUG. VICARIO CAPIT. MEDIOLANI.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO H. E. MANNING, T. D.

ETC. ETC. ETC.

ANTONIUS CERIANI.

Numquam memor non ero, Illustrissime ac Reverendissime Domine, dulcis ac vere fraternae hospitalitatis, qua ad quatuor fere menses anno MDCCCLXI Londini excipiebar a Te, a ceteris Oblatis domus Tuae ad S. Mariae Angelorum in Bayswater et ab affini Tuo Josepho Gasquet M. D. Memoriam ejus adeo mihi jucundam liceat nunc instaurare, et quantum possum longius tueri inscribendo Tibi, et per Te etiam Tuis alumnis et affini, has primitias secundi Monumentorum tomi, qui magnam partem excipiet librorum, quos tunc e libris manuscriptis Musei Britannici describebam. Tua et Tuorum in me benevolentia, et amor quo Tu et Tui flagratis Sacrarum Literarum, ad quarum studium quantum in me est promovendum opus meum dirigitur, me adducunt ut sperem benigne a Vobis susceptum iri hoc mei grati animi testimonium.

MEDIOLANI, *die Epiphaniae Domini*, MDCCCLXIII.

PRAEFATIO.

Citius quam sperabam iter Londinense aggressus descripsi libros versionis Syro-Hexaplaris, quotquot exstant tantum in Museo Britannico, et quae jam habebam in eoque prostabant, ex parte contuli; inde regressus apographum libri IV Regum Parisiensis continuavi; in utraque demum Bibliotheca sedulo conquisivi ejusdem versionis fragmenta sive in auctoribus Syris praeter Barhebraeum, sive in codicibus biblicis et liturgicis. Hinc factum, ut ex libris hujus versionis, quos noverim in Bibliothecis Europae superesse, vix sit quem non habeam, et ex collatione fragmentorum patria et aetate differentium deprehenderim hanc versionem fideliter nobis conservatam fuisse in codicibus adhuc exstantibus. Ex his paene delatum mihi munus videtur, ut edam quod reliquum est dignissimae versionis, ipsumque libenter suscipio, et quantum ex me est, nihil non conabor, ut perficiam, novis etiam itineribus consecuturus quidquid ejusdem exstare noverim in Europa. Intermissis ergo et secundo voluminis prioris fasciculo, quem commodiori tempore ineditis Ambrosianae libellis complebo, et Prolegomenis editionis Syro-Hexaplaris jam novis subsidiis cumulandis, secundum tomum aggredior reliquiis Pentateuchi hujus versionis destinatum, quae constant ex Exodo integro, magna parte Genesis et Numerorum, pusilla Levitici lectione ecclesiastica, servatis in Museo Britannico, et ex locis Deuteronomii quos e suo codice dedit Masius. His addam nonnulla Syriaca excerpta, praesertim recensionis Jacobi Edesseni, quae opportunum hic sibi locum vindicant et rem criticam aliquantulum, spero, adjuvabunt.

Rationem editionis eandem sequar primi fasciculi; nisi quod singulis libris in diversis semper codicibus, si Ambrosianum excipias, prostantibus praefabor de codice, de subsidiis criticis pro notis meis et de recensionibus testium LXXviralium; in notis vero meis Holmesianos testes de more non excitabo singillatim, sed solum indicabo, utrum unus pluresve accedant, cujus rei causam declarabo in Praefatione ad Genesis fragmenta. Quam quidem, itinere distractus Neapolitano feriis autumni suscepto ad nonnulla Graecae Palaeographiae recognoscenda, non potui complere, sed cum reliqua parte Genesis dabo, et opportune satis, cum ad familias testium discutiendas edendis partibus praesertim sermo erit referendus, ad quas solum licebit dignissimum codicem Vaticanum assumere. Interea ut notarum sigla innotescant, en eorum declarationem, iis quae satis patent omissis. ER: editio Romana princeps LXX. Hm: unus codex Holmesii. Hmm: duo pluresve codices Holmesii. I, III, IV, X, 55, 58: codices Holmesii, quos ipse inspexi in collationibus vel editionibus Griesbachii in *Repertorium f. Bib. und Morg. Lit. I*, Tischendorfii in

Vet. Test. Graece, ed. II, et *Monum. Sacra II, III*, Maii in editione codicis Vaticani. Bodl: codex Bodlejanus editus a Tischendorf, *Mon. Sacra II.* d: lectiones ecclesiasticae codicis Ambrosiani recentioris. Ald, Compl: editiones Aldina et Complutensis in fonte adhibitae, quia Holmes interdum peccat. Sab: Sabatier, *Bibl. Sacr. Lat. versiones antiquae*, ex quo, ubi nihil addiderim, Patres Latinos excitavi. AH: versio Arabica Hareth, ex nostra Syro-Hexaplari confecta, desumpta ex Holmes, in quo duo ejusdem codices indicantur Arab. 1. 2; non semper tamen nominatim excitavi, in siglis *Hmm* eam comprehendens. CM: versio Copto-Memphitica. Aet: versio Aethiopica. Arm: versio Armeniaca edita a Zohrab. H: Hebraeus textus. HS: textus Hebraeo-Samaritanus. Sam: versio Samaritana. Abus: versio Arabica Abusaid ex Hebraeo-Samaritano. Onk, Jon, Jerus: Paraphrases Chaldaicae Onkelos, Jonathan et Hierosolymitana. P: versio Pescito; PA et Pa: duo ejusdem codices in Ambrosiana Bibliotheca; PP et PL: ejusdém editiones Polyglotton Londinensium et Lee anni 1823. Vulg: versio Latina vulgatae editionis. Ar: versio Arabica Polyglotton Londinensium. Pers: versio Persica. Ven: versio Graeca ex codice Veneto. Montf: Montfaucon Hexapla Origenis. Ap. Hm: Appendix Holmes ad calcem Genesis. Hos vero testes numquam in versione latina, plerisque addita et interdum fallaci, sed in archetypo consului. Quoad textum Syriacum lineas codicis ceteraque omnia, quantum per typos licet, fideliter retinui; solum in punctis diacriticis non dedi nisi quae certa, aut probabilia deprehendebam primae manus in male habito ad multam partem codice, cetera tacite omisi.

Reliquum est, ut correctiones prioris fasciculi apponam, quae a doctis prolatae mihi innotuerunt. Unus Dr. Aem. Roediger, cui gratias ago, mihi indicavit omissionem literae ܗ in voce ܠܟܘܠܗܘܢ p. 26, a, l. 4; et de voce ܓܦܢܐ, p. 48, not. monuit occurrere etiam in significatione *vitis*, cujus ipse quoque, exemplo recentiori allato in *Addenda*, p. XVI, duo alia reperi in Lexico Syriaco Bernstein, col. 75. Quoad Fragmenta Palimpsesta indicavit dissertationem Tischendorfii in Ephemeride *Theolog. Studien und Kritiken*, sed eam nondum inspicere potui. Alia quae ipse addenda reperi, secundae tomi prioris parti opportunius reservo.

Quoniam vero justum est, ut innotescant qui suis officiis studiis meis faventes partem sibi in hac editione vindicant, eos hic recensebo. Conservatores Bibliothecae Ambrosianae, Doctoribus collegis meis suffragantibus, subsidium ad Londinense iter ex Bibliothecae reditibus decreverunt, et ejusdem impensis curarunt opus edendum. Londini Bibliothecarius Musei Britannici Doctor A. Panizzi una cum DD. Cureton, Wright, Rieu, omni benevolentia studia mea juvarunt; Wright imo, ad quem quin peterem pro me scripserat Dr. Roediger, sponte suam operam obtulit, si quis usus esset, largissimam, et reapse locos a me missos denuo inspexit. Hospitalitatis ibidem Reverendissimi Dr. Manning ceterorumque illi conjunctorum jam memini. In Bibliotheca Imperiali Parisiensi novis me sibi officiis devinxit Reinaud una cum docto juvene Michaele Bréal. Neapoli ego, qui extremos doctorum virorum benevolentiae limites jam alibi cognovisse putabam, majorem adhuc reperi in Praefecto Bibliothecae Nationalis Sac. Vito Fornari, et Bibliothecario Prof. Josepho De-Blasiis. Ultimus loco, sed merito primus commemorandus munificus vir Simon Gatti, qui et subsidia offerebat amplissima, si vix opus esset, ut longius Londini commorarer, et Neapolim voluit me secum ducere, ut ibi inquirerem quae studiis meis utilia forent. Alios commemorarem de me meritos, si spatium ferret, sed alibi, spero, erit locus. Demum grati mecum sint lectores Hermenegildo Besozzi typographiae Boniardi-Pogliani proprietario, qui hujus editionis in aedibus Bibliothecae ut prioris peractae curam suscepit, typothetam bonum Balzarini suppeditavit, omnibus invigilavit, ut meliori qua liceret forma opus prodiret.

NOMINA UXORUM PATRIARCHARUM PRIORUM JUXTA LIBRUM HEBRAEUM JOBELIA NUNCUPATUM.

Hoc exiguum *Parvae Genesis* excerptum descripsi e codice Musei Britannici, *Add.* 12154, f. 180, et edo tum quia libri olim diffamati historiae inservit et tramitibus indicandis ejus usus apud Syros, tum quia aliquid subsidii in nominibus propriis versionis Aethiopicae corrigendis conferre potest.

Utrum ex Hebraeo archetypo, an ex versione Graeca vel Syriaca totius libri derivatum fuerit nostrum excerptum, non habeo quo definiam. Nomina scriptionem Pescito referentia, ut patet conferenti quae in Genesi reperiuntur, nil per se indicant, cum in ipsa Hexaplari versione tantopere a Graeco pendente versionis Pescito scriptio in nominibus fere retenta fuerit. Quoad cetera in ea non occurrentia ex usu Syriaco potuit colorem Semiticum inducere Interpres. Vox tamen Graeca ܩܛܘܪܘܣ fortasse directam, vel indirectam a Graeco derivationem innueret.

Conditionem fragmenti in codice quod attinet, ܘܐܡܪܬ ܒܪܬܐ ܒܪܬ ܕܕܗ ❖ ܘܕܢܚܘܪ ܐܝܣܟܐ ܒܪܬ ܕܕܗ ❖, supplentur in margine prima manu, et sic, ut dedi, est ܘܐܡܪܬ pro ܘܐܡܪܬܐ. In numero ܗܠܟܝ linea obliqua subscripta sub ܗ ad numerica ejusdem vim indicandam more Syro, et duae lineolae superscriptae, item una lineola super ܐ sequentis vocis ܐܘܪ, et post vocem hanc et ante sequentem duo fere indices, et in marg. ܢ... nescio qua manu; corruptus est locus, ut patet, ex textu Aethiopico sanandus. Ante nomina uxorum filiorum Jacobi forma ܢܘܡܝ pro ܢܘܡܝ sic est in codice, et reperi etiam non semel in codice nostrae Bibliothecae B. 21. Inf. Utrum *Jud* inseratur ut mater lectionis, an incauto amanuensi fraudi fuerit illa quae in linea uniente literas ܢ et ܡ apparet prominentia, fere ut *Jud*, in antiquissimis codicibus Syriacis, non ausim definire. In titulo nescio an recte scripserim ܐܝܬܘܗܝ pro ܐܝܬܘܗܝ.

In nominum scriptione, qua una fere constat versio mea, versionis Pescito in Polyglottis usum secutus sum quoad vocales; ubi illa non succurrebat, Aethiopico textui adhaerebam, quantum poteram.

ܫܡ̈ܗܐ ܕܢܫ̈ܐ ܕܪ̈ܝܫܝ
ܐܒܗ̈ܬܐ ܩܕ̈ܡܝܐ. ܐܝܟ
ܒܟܬܒܐ ܕܥܒܪܝܐ ܕܩܪ̈ܝܢ ܗܘ
ܕܡܬܩܪܐ ܝܘܒܝܠܐ ❖

ܫܡ ܐܢܬܬܗ ܕܐܕܡ ܚܘܐ. ܘܐܢܬܬܗ ܕܩܐܝܢ
ܐܘܢ ❖ ܘܫܡ ܐܢܬܬܗ ܕܫܝܬ ܐܙܘܪܐ ܚܬܗ ❖
ܘܐܢܬܬܗ ܕܐܢܘܫ ܢܘܥܡ ܚܬܗ ❖ ܘܕܩܝܢܢ
ܡܘܐܠܠܝܬ ܚܬܗ ❖ ܘܕܡܗܠܠܐܝܠ ܕܝܢܐ
ܒܪܬ ܕܕܗ ❖ ܘܕܝܪܕ ܒܪܟܐ ܒܪܬ ܕܕܗ ❖
ܘܕܚܢܘܟ ܐܕܢܝ ܒܪܬ ܕܕܗ ❖ ܘܕܡܬܘܫܠܚ
ܐܕܢܐ ܒܪܬ ܕܕܗ ❖ ܘܕܠܡܟ ܒܬܐܢܘܣ ܒܪܬ
ܕܕܗ ❖ ܘܫܡ ܐܢܬܬܗ ܕܢܘܚ ܐܡܙܪܐ ܒܪܬ
ܕܕܗ ❖ ܘܐܢܬܬܗ ܕܫܡ ܨܕܩܬܠܒܒ. ܘܕܚܡ

ܢܠܡܣܘܟ ❖ ܘܕܝܦܬ. ܐܕܬܢ̈ܐܣ ❖
ܘܫܡ ܐܢܬܬܗ ܕܐܪܦܟܫܕ ܪܣܘܐ ܒܪܬ
ܣܘܣܢ ❖ ܘܕܩܝܢܢ ܡܠܟܐ ܒܪܬ
ܡܕܝ. ❖ ܘܕܫܠܚ ܒܪܘ. ܡܥܟܐ ܒܪܬ
ܕܕܗ ❖ ܘܐܢܬܬܗ ܕܥܒܪ. ܐܙܘܪܐ ܒܪܬ
ܢܒܪܘܕ ❖ ܘܕܦܠܓ ܠܘܡܢܐ ܒܪܬ ܣܢܥܪ ❖
ܟܬܘܡܣ ܦܠܓܝ ܐܚܣܝܢ ܡܟܝܪܐ. ܘܐܘܡܬܘ
ܗܠܟܝ. ܐܘܪ ܩܛܘܪܘܣ ❖ ܘܫܡ ܐܢܬܬܗ
ܕܐܪܥܘ ܐܘܪܐ ܒܪܬ ܐܘܪ. ❖ ܘܕܣܪܘܓ ܡܠܟܐ
ܒܪܬ ܟܒܪ ܕܕܗ ❖ ܕܢܚܘܪ ܒܪܬܗ. ܝܣܩܐ
ܒܪܬ ܢܣܬܓ ܟܠܕܝܐ ❖ ܕܬܪܚ ܐܕܢܐ ܒܪܬ ܕܕܗ
ܐܒܪܡ ❖ ܘܣܒܝܬܐ ܒܪܬ ܘܦܢܐ ܡܥܟܗ ܐܒܪܡ
ܠܠ ܡܥܡܐ ܕܐܒܘܗ ❖ ܕܐܒܪܡ ܕܝܢ ܘܕܐܝܣܚܩ

ܘܕܝܥܩܘܒ· ܝܕܝܥܝܢ ܐܠܝܢ ܡܩܕ̈ܡܐ ܕܠܥܠ·
ܕܒܢ̈ܘܗܝ ܕܝܢ ܕܝܥܩܘܒ· ܕܪܘܒܝܠ ܥܕܐ ❖
ܕܫܡܥܘܢ ܝܒܥܐ ܟܢܥܢܝܬܐ ❖ ܕܠܘܝ
ܡܠܟܐ ܡܢ ܒܢ̈ܬ ܐܪܡ ❖ ܕܝܗܘܕܐ ܒܪܬ
ܫܘܥ ܟܢܥܢܝܬܐ ❖ ܕܐܝܣܟܪ ܥܙܟܐ ❖
ܕܙܒܘܠܘܢ ܐܕܢܝ ❖ ܕܕܢ ܗܘܒ ܚܓܠܐ ❖

ܘܕܢܦܬܠܝ ܪܘܫܐ ܡܢ ܒܝܬ ܢܗܪ̈ܝܢ ❖
ܘܕܓܕ ܡܥܟܐ ❖ ܘܕܐܫܪ ܝܘܢܐ ❖ ܕܝܘܣܦ
ܐܣܝܬ ❖ ܕܒܢܝܡܝܢ ܥܣܡܢܐ ❖ ܘܫܡܗ
ܒܪܬܗ ܕܦܪܥܘܢ ܗܝ ܕܪܒܝܬ ܠܡܘܫܐ
ܬܪܡܘܬܝܣ· ܐܝܟ ܐܚܪ̈ܢܐ ܕܝܢ ܪܚܘܣܐ ❖ ❖

NOMINA UXORUM PATRIARCHARUM PRIORUM JUXTA LIBRUM HEBRAEUM JOBELIA NUNCUPATUM.

Nomen uxoris Adam Hava, et uxoris Caen Asva. Et nomen uxoris Scith Azura ejus soror, et uxoris Anusc Nahum soror ejus, et Kajnan Mahlaluth soror ejus, et Mahlalael Dina filia patrui, et Jar Barca filia patrui, et Hanuch Adni filia patrui. Mathusclah Adna filia patrui, et Lamach Anusci filia patrui. Et nomen uxoris Nuh Amizra filia patrui, et uxoris Scim Zadkatnebab, et Ham Nahlamhuk, et Japheth Adnatnesce. Et nomen uxoris Arphacsciar Rusa filia Sciuscian, et Kajnan filii ejus Malca filia Madai, et Scialah filii ejus Ma'ca filia patrui, et uxoris 'Abar Azura filia Nebrud, et Phalag Mana filia Sen'ar. In diebus Phalag aedificata est turris, et altitudo ejus MMMMMCDXXXIII cubita .... stadia. Et nomen uxoris Ar'u Arva filia Ur, et Srug Melca filia Cheber patrui ejus, Nahur filii ejus 'Aska filia Nesteg Chaldaei, Tarah Adna filia patrui sui Abram, quae genuit filium et vocavit nomen ejus Abram ex nomine patris sui. Nota autem sunt nomina uxorum Abram et Ishak, et Ja'kub. Filiorum autem Ja'kub, Rubil Ada, Scem'un Jab'a Chanaanitis, Levi Melca ex filiabus Aram, Ihuda filia Sciu' Chanaanitis, Isacar 'Azka, Zebolon Adni, Dan item Hagla, et Naphtali Ruscia ex Mesopotamia, et Gad Ma'ca, et Ascir Jauna, Jauseph Asjath, Benjamen 'Asmena. Et nomen filiae Pher'un quae educavit Musce Thermuthi, juxta alios autem Rahusa.

EXCERPTA RECENSIONIS JACOBI EDESSENI.

Viri, quos vidi ex documentis allatis paullo fusius disserentes de Recensione Jacobi Edesseni, Ladvocat in *Journal des Savants*, 1765, *Août*, Eichhorn in *Einleitung ins A. Testam.* § 260, ed. I, et *Allgemeine Bibliothek d. b. L.* II, 270 seqq., Bugati in *Daniel Syro-Tetraplari*, p. XI seqq., Silvestre de Sacy in *Notices et Extraits*, IV, 648 seqq. et *Allg. Bibl.* jam allata, VIII, 571 et seqq., in diversa abierunt, nec rem confecerunt. Quod non aliunde repeto in illis viris, nisi ex defectu subsidiorum, quae jam multo plura extant in Manuscriptis Syriacis librorum, qui in hac Recensione aeque ac in Hexaplari versione prostant, et in collatione Holmesiana, ex qua investigare licet variam constitutionem textus LXX; quem in ipso archetypo Graeco, prouti erat in Recensione quae Polychronio et Theodoreto prostabat assumsisse Jacobum cum aliis versionibus Syriacis saltem aliqua ex parte ostendunt plura, quae suis locis proferentur. Prostabat quidem tam Bugati quam Eichhorn Daniel Syro-Tetraplaris, quem una cum Pescito assumerent in dijudicandis locis aliquot; sed Graecus textus, quo in illo libro usus est Jacobus, erat Theodotionis, non vero LXX quem dat Syro-Tetraplaris, ideoque minus aptus, ut inde argueretur ad totius Recensionis indolem; quod illi ipsi senserunt. Mei

ergo muneris putavi ex codicibus Parisiensibus et Londinensibus, qui libros hujus Recensionis exhibent, nonnulla excerpere, quae item haberem in versione Syro-Hexaplari, cujus librorum singulorum editioni semper unam alteramve pericopen Jacobi adderem. Hac ratione doctis judicii documenta exhibeo; quod ut melius etiam proferre valeant ex pleniori textus quoque Pescito notitia, subjiciam pro iis locis hujus varietates ex editione Lee et codicibus duobus Ambrosianis collatis cum Polyglottis Londinensibus, quae magis omnibus prostant. Judicium ipse quoque suscipiam, sed commodius differo post exhibita documenta, ad quae necesse est continue revocare. Nunc satis sit brevem notitiam codicum Jacobi, quatenus novi, proferre et indicare quosnam in illa exstantes libros servet etiam versio Hexaplaris.

Recensionis Jacobi quatuor codices novi.

I est Parisiensis, *Syr. Suppl. XVII*, Pentateuchus cum lacunis, duplicis manus: descripsit Sacy l. c. Pars antiqua codicis majoris est aetatis, quam Sacy statuat, et vix saeculo VIII posteriorem haberem; partis vero posterioris tabulam bonam dedit Silvestre in *Paléographie Universelle.*

II Musei Britannici, *Add.* **14429**, coeptus describi, ut ex Inscriptione fol. 1. r.° an. 1030, die X, mensis Nisan (Christi 719). Continet I et II Regum, mutilus in fine. Sed II Regum ex divisione, juxta testimonia hucusque mihi nota, in uno Patriarchatu Antiocheno vel in aliqua ejus parte vigente, pertingit usque ad mortem David.

III Musei Britannici, *Add.* **14441**, Esaias, miserrime mutilus. Cum deficiat etiam initio et fine, nullum testimonium directum originis sui textus profert; sed hujus conditio et totus ipse habitus externus, collatis codice praecedente Musei Britannici et sequente Parisiensi, Jacobi recensioni vindicant.

IV Parisiensis, *Syr. V*, continet Danielem compactum cum IV Reg. Hexaplari. Danielicus codex adeo per omnia similis est Londinensibus Jacobi, primo praesertim, quantum memini, ut unius ejusdemque manus putem, praesertim ex epocha. Coeptus est enim describi (ex Inscriptione initio codicis) die ... (legi non potest numerus) mensis Canun prioris, an. Graecorum 1031 (Chr. 720) completus vero (ex Subscriptione) die XVIII mensis Canun posterioris ejusdem anni; nempe octo fere menses post codicem primum Londinensem, quot libris interjectis scribendis sufficerent. Singularem habet textus ordinem hic codex in ullis partibus.

Hexaplaribus codicibus Musei Britannici, *Add.* **14442**, **12134**, **14437**, insunt bona pars Genesis, Exodus, bona pars Numerorum et III Reg. juxta communem divisionem, codici Hex. Ambrosiano, C, 313, Inf., Esaias et Daniel.

Quae occurrent notabilia in sequentium librorum excerptis tunc dabo; quae nunc do duo fragmenta Genesis, prius ipse descripsi cum aliis e codice, quocum tamen non contuli iterum, alterum edo ex apographo confecto pro Bugati a Behenam, qui codicem Parisios detulit, quem doleo non satis exactum fuisse, quantum conjicio, in textu, in margine vero omisisse multitudinem vocum Graecarum, quibus codicem scatere vidi. Sed non memini, puto, cum excerperem, hanc apographi Behenam conditionem.

IV, 8. ܘܐܡܪ ܩܐܝܢ ܠܘܬ ܗܒܝܠ ܐܚܘܗܝ: ܢܪܕܐ
ܠܦܩܥܬܐ. ܘܗܘܐ ܕܟܕ ܗܘܘ ܒܚܩܠܐ.
ܩܡ ܩܐܝܢ ܥܠ ܗܒܝܠ ܐܚܘܗܝ ܘܩܛܠܗ.
9 ܘܐܡܪ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܠܩܐܝܢ. ܐܝܟܘ ܗܒܝܠ
ܐܚܘܟ. ܗܘ ܕܝܢ ܐܡܪ. ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܐ. ܕܠܡܐ
10 ܢܛܘܪܗ ܕܐܚܝ ܐܢܐ. ܘܐܡܪ ܐܠܗܐ. ܡܢܐ
ܥܒܕܬ. ܩܠܐ ܕܕܡܗ ܕܐܚܘܟ. ܩܥܐ ܠܘܬܝ
11 ܡܢ ܐܪܥܐ. ܘܗܫܐ ܗܐ ܠܝܛ ܐܢܬ ܡܢ
ܐܪܥܐ. ܗܝ ܕܦܬܚܬ ܦܘܡܗ ܘܩܒܠܬ
12 ܕܡܗ ܕܐܚܘܟ ܡܢ ܐܝܕܝܟ. ܡܛܠ ܕܬܦܠܘܚ
ܒܐܪܥܐ. ܘܠܐ ܬܘܣܦ ܕܬܬܠ ܠܟ ܚܝܠܗ.
13 ܙܐܝܥ ܘܢܝܕ ܬܗܘܐ ܥܠ ܐܪܥܐ. ܘܐܡܪ ܩܐܝܢ
ܠܘܬ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ. ܪܒܐ ܗܝ ܣܟܠܘܬܝ
14 ܡܢ ܗܝ ܕܢܫܬܒܩ ܠܝ. ܐܢ ܦܩܦܣ

ܐܠܐ ܟܢ ܝܘܡܢܐ ܡܢ ܐܦܝ̈ ܐܪܥܐ. ܘܐܦ
ܡܢ ܩܕܡܝܟ ܐܬܛܫܐ. ܘܐܗܘܐ ܙܝܥ ܘܢܘܕ
ܒܐܪܥܐ. ܘܢܗܘܐ ܕܟܠ ܡܢ ܕܢܫܟܚܢܝ
15 ܢܩܛܠܢܝ. ܘܐܡܪ ܠܗ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ.
ܠܐ[2] ܗܟܢܐ. ܟܠ ܐܢܫ ܕܢܩܛܠܝܘܗܝ
ܠܩܐܝܢ. ܫܒ̈ܥܐ ܐܬܒ̈ܥܬܐ ܢܦܪܥ. ܘܣܡ
ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܐܬܐ [3]ܒܩܐܝܢ. ܕܠܐ ܢܩܛܠܘܢܗ
16 ܟܠ ܡܢ ܕܡܫܟܚ ܠܗ. ܘܢܦܩ ܩܐܝܢ
ܡܢ ܩܕܡ ܦܪܨܘܦܐ ܕܡܪܝܐ. ܘܝܬܒ ܒܐܪܥܐ
[4]ܕܢܘܕ. ܠܡܕܢܚܗ [5]ܕܥܕܢ.

[1] ܘܢܕܕ
[2] ܠܐ. ܗܟܢܐ ܟܠ ܩܛܘܠܐ.
[3] ܒ in ܒܩܐܝܢ suppletur prima manu, ܠ primo praecesserat, sed reprobatur.
[4] ΝΑΪΔ.
[5] ΕΔΕΜ, sic in margine, in textu vero ܥܕܢ.

Lectiones variantes Pescito a textu Polyglotton Londinensium, sed omissis horum erroribus typographicis, ex variantibus in VI eorundem, ex editione Lee et ex codice Ambrosiano B. 21, Inf.

8. Pol., Lee: ܒܦܩܥܬܐ. Cod. Amb.: ܒܚܩܠܐ.

10. Pol., Lee: ܠܗ ܡܪܝܐ. Cod. Ambros. omittit.

12. Pol., Lee: ܠܙܝܥ. Cod. Amb. ܕܙܝܥ.

13. Pol. ܠܡܫܒܩܘ. Cod. Ambros., Lee: ܕܠܡܫܒܩܘ.

15. Polygl., Lee: ܠܐ ܗܟܢܐ. ܟܠ ܩܛܘܠܐ ܕܩܐܝܢ: ܫܒܥ. Cod. Amb.: ܠܐ ܗܟܢܐ ܟܠ ܩܛܘܠܐ. ܩܐܝܢ ܫܒܥ. Cod. Usserii in VI Polygl. ------. ܠܐ. ܩܛܘܠܐ ܩܐܝܢ, et sic et codex Pocockii, sed non interpungens post ܠܐ.

16. Pol., Lee: ܡܕܢܚܗ. Cod. Ambrosianus: ܡܕܢܚܗ.

23 ܒܢܝ̈ܐ ܘܒܢ̈ܬܐ. ܘܗܘܘ ܟܠ ܝܘܡ̈ܬܗ ܕܚܢܘܟ
24 ܬܠܬܡܐܐ ܘܫܬܝܢ ܘܚܡܫ ܫܢ̈ܝܢ. ܘܫܦܪ
ܚܢܘܟ ܠܐܠܗܐ [1]ܘܠܝܬܘܗܝ ܡܛܠ
25 ܕܕܒܪܗ ܐܠܗܐ܀ ܘܚܝܐ ܡܬܘܫܠܚ ܡܐܐ
ܘܬܡܢܝܢ ܘܫܒܥ ܫܢ̈ܝܢ ܘܐܘܠܕ ܠܠܡܟ.
26 ܘܚܝܐ ܡܬܘܫܠܚ ܡܢ ܒܬܪ ܕܐܘܠܕ
ܠܠܡܟ ܫܒܥܡܐܐ ܘܬܡܢܝܢ ܘܬܪܬܝܢ
27 ܫܢ̈ܝܢ. ܘܐܘܠܕ ܒܢ̈ܝܐ ܘܒܢ̈ܬܐ. ܘܗܘܘ
ܟܠܗܘܢ ܝܘܡ̈ܬܗ ܕܡܬܘܫܠܚ ܬܫܥܡܐܐ
28 ܘܫܬܝܢ ܘܬܫܥ ܫܢ̈ܝܢ. ܘܡܝܬ܀ ܘܚܝܐ
ܠܡܟ ܡܐܐ [2]ܘܬܡܢܝܢ ܘܬܪܬܝܢ ܫܢ̈ܝܢ
29 ܘܐܘܠܕ ܒܪܐ. ܘܩܪܐ ܫܡܗ ܢܘܚ. ܟܕ
ܐܡܪ ܗܢܐ [3]ܢܢܝܚܢ ܡܢ ܕܥܒܕܝܢ ܘܡܢ
ܥܡܠܐ ܕܐܝ̈ܕܝܢ ܘܡܢ ܐܪܥܐ ܗܕܐ ܕܠܛܗ
30 ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ. ܘܚܝܐ ܠܡܟ ܡܢ ܒܬܪ
ܕܐܘܠܕ ܠܢܘܚ. ܚܡܫܡܐܐ [4]ܘܬܫܥܝܢ
ܘܚܡܫ ܫܢ̈ܝܢ. ܘܐܘܠܕ ܒܢ̈ܝܐ ܘܒܢ̈ܬܐ.
31 ܘܗܘܘ ܟܠܗܘܢ ܝܘܡ̈ܬܗ ܕܠܡܟ.
ܫܒܥܡܐܐ [5]ܘܫܒ̈ܥܝܢ [6]ܘܫܒܥ ܫܢ̈ܝܢ
VI,1 ܘܡܝܬ܀ ܘܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܢܘܚ ܒܪ
ܚܡܫܡܐܐ ܫܢ̈ܝܢ. ܘܐܘܠܕ ܢܘܚ ܠܫܝܡ
ܠܚܡ ܘܠܝܦܬ܀

[1] ܘܠܐ ܡܫܬܟܚ ܗܘܐ
[2] ܘܬܡܢܝܢ
[3] ܢܢܝܚܢ. Sic enim erroneum ܢܘܚܢ apographi Behenam corrigo, quod facile ortum est ex scriptione minuta codicis in marginalibus.
[4] ܘܬܫܥܝܢ
[5] ܘܫܒܥܝܢ
[6] ܘܬܠܬ

Lectiones variantes, ut supra, addito alio codice Ambrosiano recentiori, nullae, nisi v. 22, ubi Pol. ܠܡܬܘܫܠ, reliqui testes ܠܡܬܘܫܠܚ.

V, 21. ܘܚܝܐ ܚܢܘܟ ܡܐܐ ܘܫܬܝܢ ܘܚܡܫ
22 ܫܢ̈ܝܢ. ܘܐܘܠܕ ܠܡܬܘܫܠܚ. ܘܫܦܪ
ܚܢܘܟ ܠܐܠܗܐ ܡܢ ܒܬܪ ܕܐܘܠܕ
ܠܡܬܘܫܠܚ ܬܠܬܡܐܐ ܫܢ̈ܝܢ. ܘܐܘܠܕ

SUPPLEMENTUM AD CAPITULA GENESIS

(p. 2-13.)

Occasione itineris Neapolim novum subsidium editioni Capitulorum nactus fueram, archetypum nempe Graecum servatum in codice Bibliothecae Nationalis II, A, 12, descripto in Catalogo ejusdem Codicum Graecorum Cyrilli Salvatoris, N.º XII, quem confer. Cum nec Bugati ad Capitula Danielis, nec Magistris in Daniele codicis Chisiani, pp. 4, 11, nec continuator Grabe cum Capitula Isaiae dedit, V. T., III, Prol. V, 2, nec qui obiter de iisdem Syriacis locuti sunt, ut Middeldorpf, *Cod. Syr. Hex.*, p. IV, n. 13, et Skat Rördam, *Libri Jud. et Ruth*, p. I, unquam textus jam editi meminerint, inedita putaveram; magis vero in opinione confirmatus fueram tum cum reperi, non indicari ut jam vulgata, quantum equidem reminiscor modo, neque ab ipso editore Catalogi Neapolitani, qui cum aliis Capitulis contulit. Descripseram ideo quotquot in codicibus Syro-Hexaplaribus jam habebam ut occasione, qua ista ederem ante singulos libros Syro-Hexaplares, pro mea versione archetypum Graecum apponerem. Verum ex breviatis et vix divinandis notis το χρυσοστομου additis titulo in codice Neapolitano coepi inquirere Mediolani inter Chrysostomi opera, et perjucundum mihi accidit, ut opellam sane luce dignam editam jam reperirem, cui tamen mutilae ex apographo Neapolitani libri nonnulla Capitula in Syro quoque exstantia accederent praeter plurima alia, quorum ne hilum quidem in editione Montfaucon. Ex meo instituto dimisi textus jam vulgati editionem, solum singulis locis quae ex codice Neapolitano emolumenta haberi poterunt proferam. In ceteris cum Graeco edito, adhibito ubi utile sit etiam manuscripto, conferam Syrum, longe antiquiorem prae illo textus conditionem praebentem. Id jam in hoc fasciculo pro Capitulis Genesis praesto, ne conjungenda avulsa a suo loco proferam, praesertim quod miseram in multis Syri conditionem paulum sanare potero, et nonnulla supplere. Textum Graecum ex editione Montfauconi t. VI per paginas et lineas affero, Syrum ex mea editione item per paginas, columnas et lineas. Quae in Syro dubia dedi et intacta relinquo, jam certa sunt ex Graeco; quae vero ex contextu Graeco melius jam quoad constructionem verterentur aliquibus in locis, quam fecerim ex mutilo codice in versione latina, utpote plana ei qui conferat Graecum, omitto, ne longior sim.

P. 318, l. 19: αδελφον = 2, b, 3: addit αυτου.

318, 21: αδαμ, και των = 2, b, 8: αδαμ, των, cum codice Neapolitano, et recte textu Genesis collato.

318, 29, 30: πεντηκοντα... τριακοντα = 3, a, 14, 15: praemittit και utrique voci.

318, 31: κιβωτον = 3, b, 1: addit ο νωε.

318, 37: θαλλον ελαιας κομιζουσα = 3, b, 10: omittit.

318, 38: εθυσε = 3, b, 12: εθυε.

318, 40: μηκετι = 3, b, fin.: mutilus uno folio ad δωσειν, 319, 26, incl.

319, 32: και του λωτ = 4, a, 10: patet hinc quae dedi ut vestigia literae ܠ (ܠܠ) esse residuum literae ܛ in charactere estranghelo veterum codicum habentis lineam ab alto ad infra obliquam fere ut eam literae ܠ; lege ideo ܘܕܠܘܛ.

319, 38: της σοδομηνης = 4, b, 8: των σοδομηνων.

319, 39: ετερους = 5, a, 1: pro dubio ܪ pone ܕ; et supple ܐܚܪ̈ܢܐ *alios*.

319, 41: ο δε αβρααμ = 5, a, 4: jam ex incertis vestigiis quae enotavi suppleo ܗܘ, post quod ܕܝܢ δε ex spatio potest fuisse; suo more resolvit sequentia participia noster.

319, l. ultima: οτι και ο λευις ο δεκατας λαμβανων = 5, a, 11: supple jam - - - ܕܐܦ *etiam Levi accipientem decimas*, quod et loco Pauli unice congruit.

320, 3: φησιν = 5, a, 15: pro ܐܠܐ ex ܐ supple ܐܡܪ̇.

320, 8: επιστευσεν = 5, b, 3: addit δε

(confer ad Rom. IV, 3, Jacob. II, 23, et variantes Holmes).

320, 11: ετη τετρακοσια = 5, b, 8: ܐ (ܬܪ) in fine vocis ܐܪܒܥܐ, ut certum ex vestigiis enotatis dedi; jam dubito, cum pro ετη τετρακοσια ex more nostri (cf. c. V Genesis) debuit fuisse ܐܪܒܥܡܐ ܫܢܝܢ.

320, 16: της δεσποινης = 5, b, 16: ex spatio addit ܕܡܪܬܗ αυτης.

320, 18: εις πληθος = 5, b, ult.: dele jam dubium ܘ, vestigia vero codicis probabiliter sunt reliquiae literae ܬ vocis ܡܫܠܡܘܬܐ επιδωσει.

320, 20: ο αγγελος = 6, a, 2: ex ܐ supple ܡܠܐܟܐ.

320, 21: και αβρααμ = 6, a, 4: supple jam ܘܐܒܪܗܡ.

320, 25: ισαακ = 6, a, 11: ex Graeco pro ܝܫ-ܬ lege ܐܝܣܚܩ (ܐܝܣܚܩ), nam ex meis notis satis probabilia etiam vestigia literae ܣ, in estranghelo charactere aliquid convenientis cum ܬ pro extrema parte; facile etiam potui in male habita membrana confundere cum ܩ literam ܬܪ, quam ideo dedi illic.

320, 29: του θεου = 6, a, l. ultima: του κυριου.

320, 30: επισταντες = 6, b, 2: ex Graeco similia in pluribus pro literis vestigia in charactere estranghelo lego ܩܡܘ pro ܩܝܡܘ.

320, 34: και αυτος μεν ...εις = 6, b, 6, 7: quae dedi ex vestigiis ut dubia jam falsa sunt.

320, 35: γεγονε = 6, b, 8: γινεται cum cod. Neap.

320, 37: λωτ = 6, b, 11: supplendum ex vestigiis ܠܘܛ.

320, 39: πατρος μιξιν = 6, b, 15: post alterutram vocem addit αυτων.

320, 40: εκλειψαν = 6, b, 15: vix ferri posset ܕܢܣܒܢ et melius ex Graeco ܕܢܣܒܢ.

320, 42: γεραρων = 7, a, 2: marg. γεραρα, formam in recto noster dedit, non prouti in textu Graeco prostabat, solum eo intendens, quantum video, ut vocis scriptionem melius confirmaret contra P, vel ut orthoepiam vocis indicaret; cf. pagg. 16, 35, 46, et saepe in cap. XXXVI.

320, 47: της οικιας μετα του παιδιου = 7, a, 10: jam certa apparent quae de notis transpositionis dixi, ut locus esset ܡܢ ܒܝܬܐ ܥܡ ܛܠܝܐ. Post haec Syrus alia addebat, haec fere ex reliquiis et textu sacro, Genesis XXI, 11, seqq.: *ut praecipiebat Deus*. Cetera ad Capitul. XV p. 320, 50: κελευεται ανενεγκαι in Syro desunt.

320, ult.: τον υιον = 7, b, 5: ex residuo ܐ supple ܒܪܗ.

Ibid.: και σφαζεται, cod. Neap. σφαγιαζεται = 7, b, 7: ex dubio ܗ (ܬܪ) in estranghelo simili aliquantulum literae ܣ et ex Graeco lego ܘܡܬܢܟܣ.

321, 1: τυποι = 7, b, 8: τυπος cum cod. Neapolitano.

321, 2: οικονομιας = 7, b, 9: ܕܡܕܒܪܢܘܬܐ; et sequentis lineae dubium ܕ jam puto certum, quamquam exactam pro vocibus versionem restituere non audeam.

321, 4: του χετταιου = 7, b, 13: ex ܐ supple ܚܬܝܐ pro ܚܬܐ, quod ex Gen. XXIII, 17 putaveram supplendum.

321, 7: η γυνη = 8, a, 5: videtur Syrus legisse η παις, vel liberius vertisse; cum Graeco est textus sacer Gen. XXIV, 5, 8.

321, 8: ο παις εις την πολιν = 8, a, 5: ex spatio conjicio omisisse Syrum ο παις, et ex ܐ reliquo suppleo ܠܡܕܝܢܬܐ.

Ibid. και το σημειον = 8, a, 6: ܘܐܬܐ.

321, 9: ην δε το σημειον = 8, a, 7, 8: lego ܐܬܐ (ܕܝܢ) ܗܘܬ (ܐܝܬܝܗ); vestigia ulla descripta jam video ex Graeco esse ܬ postremum.

321, 12: ναχωρ 1.° = 8, a, 11: ܕܢܚܘܪ; etiam pro ܘ vestigia, quae descripsi, jam recognosco, Graeco subsidium ferente.

321, 15: τινος ενεχεν, cod. Neapol. ενεκα τινος = 8, a, 16: ܡܛܠ ܡܢܐ; etiam pro altero ܡ vestigia exstant in codice.

321, 16: επετρεψαν = 8, a, ult.: ܐܫܠܡܘ.

321, 17: εκεινη = 8, b, 1: ܗܝ, non ܗܝܡܢ, ex Graeco; membrana avulsa nesciebam an alia voci adderentur.

321, 20: εξαπεστειλεν, cod. Neapolitanus απεστειλεν = 8, b, 5: ex vestigiis post ܫ jam lego ܫܕܪ.

321, 21: ουσιας = 8, b, 6 marg.: ουσια, fortasse, si error non intercessit, vocem Graecam, forma non servata textus sui, dedit noster, ut supra p. 7, a, 2. Post hanc vocem autem addit αυτου.

321, 22: ισμαηλ = 8, b, 8; ex ratione nostri, ut forma constructa pro genitivi casu vix utatur, lego ܐܝܫܡܥܝܠ.

321, 23: δε απο ευιλατ = 8, b, 9: vel aliter legit noster, vel vestigium, quod ut certum sumpsi, literae ܘ, est residuum literae ܝ ܕܝ δε); satis tamen haeret literae ܣ.

321, 26: λαου = 8, b, 14: ex ܐ do ܥܡܐ.

321, 27: αποδιδοται και πιπρασκει = 8, b, 17: ex ܝ, et ex vestigiis ܒ jam planis ex Graeco suppleo ܡܙܒܢ pro alterutro horum verborum, quae nescio ex defectu membranae an utrumque habuerit noster; secundum fortasse est glossema, in omnibus tamen Graecis testibus repertum.

321, 29: ισαακ = 9, a, 1: ex ܩ dubio jam lego ܐܝܣܚܩ.

321, 32: το σπερμα = 9, a, 5: ex ܐ supplerem ܠܙܪܥܐ, et numerum Capituli ad lineam sequentem retraho.

321, 33: ο βασιλευς = 9, a, 6: ex ܐ suppleo ܡܠܟܐ, spatio codicis computato.

321, 35: εξυβρισει (codex Neap. εξυβρισειεν) = 9, a, 10: ܢܒܙܚ.

321, 36: και ευρεν = 9, a, 11: ܘܐܫܟܚ.

321, 37: εκ της ευλογιας = 9, a, 13: ܡܢ ܒܘܪܟܬܐ (ܡܢ); vestigia ulla literarum ܟܬ jam plana ex Graeco.

321, 39: εκειθεν = 9, a, 15: ܠܬܡܢ (ܡܢ); satis ductus ascendens literae ܠ in estranghelo cum eo literae ܠ confunditur.

321, 40: αλλα = 9, a, 16: jam lego ܐܠܐ; cf. not. praeced.

321, 41: ανθιστατο = 9, a, 18: ܩܐܡ ܗܘܐ. Ex ratione autem, qua αφιστημι et ανθιστημι vertit noster, reprobatur lectio αφιστατο codicum Neapolitani et Lugdunensis apud Montfaucon, qui etiam errore typorum legit αφισταντο.

321, 42: επαυσαντο = 9, a, 20: videtur addere εκεινοι, sed id potuit facere etiam ex perspicuitate.

321, 43: ασμενως = 9, b, 1: ܒܣܘܥܪܢ.

321, 45: χαναναιας = 9, b, 3: ܟܢܥܢܝܬܐ; etiam literae ܢ prioris jam plana vestigia deprehendo.

321, 50: και τα δερματα = 9, b, 10: ܘܡܫܟܐ.

322, 1: ινα = 9, b, 11: .....ܕ ܐܝܟܢܐ.

322, 2: και εισεπεμψεν. ο, cod. Neap. και επεμψεν. ο = 9, b, 13: jam nescio utrum ܗ sit suffixum verbo additum a Syro, an pars vocis ܗܘ; vestigia, quae descripsi, nil definiunt.

322, 4: το γεγονος = 9, b, 15: ܠܗܝܢ ܕܗܘܝ.

322, 5: τη επιμονη = 9, b, 17: jam dubito, num ܣ (ܣ) quod dedi sit ܒ (ܒ); nescio autem quid suppleam ex dubio seq. ܣ.

322, 6: ομως = 9, b, 19: post ܒܪܡ interpungendum, et ex Graeco sequente μικρα τοινυν ευλογηθεις supple ....ܒܗܘ ܟܡ.

322, 7: ευλογηθεις = 9, b, fine: post hanc vel proximam vocem lacuna in Syro unius folii, ratione subducta ex aliis foliis, usque ad τον γαδ, p. 322, l. 37.

322, 43: ραβδους = 10, a, 10: addit περιξεων cum cod. Neap.

322, 44: τα προβατα = 10, a, 12: nisi libertas intercesserit, ex ratione vertendi voces, aliis locis collatis, habebat ποιμνια.

322, 45: σποδοειδη ραντα = 10, a, 13: κυανεα, ut indicare videtur vox ipsa Syra, nisi liberius dedit: Genesis XXX, 38, XXXI, 10, 12 cum Graeco.

322, 46: αυτος = 10, a, 15: και αυτος cum cod. Neap.

322, l. ult.: ενεκαλει = 10, b, 8: addit πραως cum cod. Neap.

323, 1: πεφθονησθαι = 10, b, 11: πεφοβησθαι cum cod. Neapol., et sacro textu, XXXI, 31.

323, 4: επιτιθεται = 10, b, 15: addit αυτῳ cum cod. Neap.

323, 6: και (βουνον); codex Neap. δη (βουνον) = 11, a, 4: omittit utrumque.

323, 9: οι αποσταλεντες = 11, a, 9, 10: οι αγγελοι οι αποσταλεντες.

323, 12; επικειμενου = 11, a, 14: προσδοκωμενου cum cod. Neapolitano.

323, 13: εισηλθε = 11, b, 1: διηλθε cum cod. Neap.

323, 15: πληθος = 11, b, 5: addit αυτου.

323, 17: παιδιων, cod. Neap. παιδων = 11, b, 7: addit αυτου.

Ibid.: και την ραχηλ = 11, b, 8: hoc reddit noster, ut primo in nota proposui: mala interpunctio codicis adduxerat, ut secundam conjecturam proponerem, ex Graeco nunc reprobandam. Post haec noster addit

δε, quod post την, omisso και, habet cod. Neap.

323, 18: πρωτος = 11, b, 10: addit παντων, fortasse liberius ex contextu.

323, 24: νομῳ γαμου λαβειν = 12, a, 5, 6: sic et noster: quae vero de insolenti constructione dixi in nota, jam altero exemplo correctissimi codicis Ambrosiani Hexaplaris puto defendi. In Capitulo enim primo Ecclesiastici Graeca, quae Montfaucon, p. 380, D, Synopsis inter Op. Athanasii, T. II, 174, B, et codex Neapolitanus eadem exhibent, περι του δειν χωρις υποκρισεως προσιεναι θεῳ vertuntur: ܡܛܠ ܗܝ ܕܘܳܠܐ ܕܣܚܝܪ ܡܢ ܕܢܩܪܘܒ ܕܠܐ ܡܣܒ ܒܐܦ̈ܐ ܠܐܠܗܐ.

323, 25: δωσειν = 12, a, 7: addit αυτην.

323, 29: κελευσαντος = 12, b, 4: addit αυτῳ.

323, 32: γαδερ = 12, b, 9: γαζερ cum codice Neapolitano; cf. notam meam.

323, 35: παλλακης = 13, a, 5, nisi liberius vertit, legit παιδισκης, quod Genesi XXXV, 21 exhibent duo codices Holmes, non ex iis tamen, qui Hexaplarem textum redolent.

323, 39: αδελφοι = 13, b, 3: addit αυτου cum cod. Neap.

Ibid.: των ενυπνιων ενεκα = 13, b, 3: praeponit και.

324, 40: και λαβοντες μονον εδουλοντο ανελειν; cod. Neapol.: και λαβοντες μονον εις επισκεψιν αυτων ελθοντα εβουλευσαντο ανελειν = 13, b, 5-7: Syrus cum codice Neapolitano, nisi quod cum Montfaucon εβουλοντο; levis autem varietas Syri in aliis repetenda ex implicata, quae fuisset in Syrum invecta syntaxis Graeca. Post haec addit αυτον.

324, 41: εμβαλλειν — 13, b, ult.: addit αυτον. Abhinc cum praecedentibus εις λακκον, in Syro post verbum adjectis, desunt cetera Capitula, tria fere folia complectentia ex subducta cum ceteris foliis ratione.

Jam, datis quae ex his Graecis Capitulis in rem meam derivanda erant, calamus ponendus esset. Nam quae de eorum origine et conditione, ceterisque libri Graeci partibus Syrae versioni adjectis dicenda forent, proprium locum habent in Prolegomenis, par. I, cap. II, ubi etiam de accessionibus textui LXXvirali agetur. Sed pauca addam. Quisquis sit Capitulorum auctor, nam quae Montfaucon attulit, ut Chrysostomo vindicaret, debilitarunt quidem meam de auctore Pamphilo opinionem, sed non omnino convellerunt, ut alibi dicam; sit imo liber, prout longe plenior exstat in codice Neapolitano, ex diversis compilatio; certe dignus est qui edatur, cum totus vel fere antiquissimis partibus consuatur. Capitula enim quisquis tandem sit auctor, pluribus libris versionis Syrae praeposita, certe jam initio saltem saec. VII erant. Vitae Prophetarum item antiquissimae sunt, earumque nonnullae etiam versioni Syro-Hexaplari adjiciuntur, omnes vero, ut videtur, codici antiquissimo Marchaliano (cf. Mai, N. PP. Bib. IV, 320); alia demum codicis Neapolitani de Prophetis occurrunt ut Eusebii Caesariensis in eodem cod. Marchaliano (cf. Mai, l. c., p. 318-9), ex quo ea dedit Curterius ante Procopii Catenam in Esaiam. Non ingratam autem rem spero me facturum ei qui velit edere, si breviter indicem quae illi subsidia praebere possunt, et magnum fortasse supplementum. Sunt vero praeter libros initio et paullo ante allatos qui ut etiam sequentes alios fontes aperient, Hamaker, *Commentatio in Libellum de vita et morte Proph.* (ex tertiae classis Instituti Regii *Hollandici* commentariis), codices Ambr. D, 96, Sup., E, 3, Inf., fortasse etiam codex 64 Holmes, qui est Graecus II Bibl. Parisiensis; nec dubito plures repertum iri utiles codices ab eo qui in Bibliothecas inquirat. Magnum supplementum pro N. T., ad quod omnia deesse dolebat Montfaucon, vix dubito quin habeatur in Capitulis Euthalio tributis, de quibus cf. Zacagni, *Collectanea,* p. 401 seqq., praesertim 428, Montfaucon, *Bibliotheca Coisliniana*, p. 78, White, *versio Philox. N. T.* II, p. IX seqq. Graecis subsidiis ex Syris, praeter versionem Hexaplarem, quoad vitas Prophetarum plura addent codices Musei Britannici, *Add.* 7152, 12178, 14536, codex Parisiensis CXLII. Capitulorum demum Pentateuchi fere omnium versionem ex Syro-Hexaplari Arabicam exhibet, si ex descriptione judicandum, codex Arabicus Vaticanus, de quo cf. Mai, *S. V. N. C.* IV, pars II, p. 1.

PRAEFATIO IN GENESIM.

1. Codex Syro-Hexaplaris Genesis et ratio ejus editionis.

Codex, ex quo prodit tertia fere pars Genesis versionis Syro-Hexaplaris, asservatur in Museo Britannico, notatus *Add. Ms.* 14442, et sic describitur in *Catalogue of additional Mss.* Musei Britannici sub hoc numero: *Parts of three Mss.: i. Part of Genesis, of the Hexaplar edition; ii. Part of Samuel, of the Peshito edition; iii. Part of the Books of Chronicles, of the Peshito edition. On vellum, written about the VIth century. Octavo.* Postremam partem jam non habet, seorsim compactam; alteram adhuc servat codex. Est unus ex codicibus, qui iteratis vicibus ab anno 1841 ad 1847 illuc pervenerunt e celeberrimo Monasterio Syrorum Sanctae Mariae Deiparae in Deserto Scetensi, quod, ut Bobiense Coenobium pro Latinis Mss., et magis etiam, Europam pretiosissimis Syris codicibus ditavit cujusque generis, et in primis Hexaplaribus vetustis omnibus, qui supersunt Mediolani, Parisiis, Londini, alibi. Ex numero, quem gerit, apparet allatum fuisse ex Aegypto an. 1842 a Tattam, et anno insequenti accessisse Museo Britannico. Sed historiam omnium harum acquisitionum, quibus ingentem thesaurum magis in dies dilabentem ex illo loco Angli redimerunt atque in sede tuta ac literato orbi maxime pervia ac commoda collocarunt, vide, sis, in *Quarterly Review* an. 1845. N.⁰ CLIII, in Praefatione operis *The Festal Letters of Athanasius, discovered in an ancient Syriac Version* per Guilelmum Cureton, qui etiam hoc nomine de literis Syriacis maxime meritus est, quod Augustum Pacho movit, ut magnam illorum codicum partem compararet, quibus etiam jam acquisiti ex parte vel in totum saepe resarcirentur, demum in *Edinburgh Review* anni 1857. Utrum vero codex Genesis in Monasterio S. Mariae scriptus fuerit, an aliunde, ut plerique alii ejusdem libri, in ipsum devenerit, non liquet ex codice; fortasse ex collatione manuscriptorum inde allatorum in Bibliothecas Londinensem Musei Britannici et Vaticanam definire licebit, si libri scripti eadem manu ac nostri in iisdem asserventur, quorum historia ex subscriptionibus notisque aliis pateat.

Ut plerique Mss. libri Monasterii S. Mariae Scetensis, ut omnes Hexaplares ejusdem, etiam codex Genesis mutilus est, imo longe prae aliis Hexaplaribus, Numeris exceptis, et hic illic etiam in foliis reliquis miserrime passus est. Ex foliis 130, quibus saltem constabat ex numero 13 Quinternionum folia 10 complectentium ex usu codicis (cf. in editione mea p. 48, not. ad XXXI, 53, et pp. 99, 103), solum 46 supersunt, imo 45, si codici primitus non pertinuit folium primum, de quo infra. In fine vero ultra folium 130 prosequebatur probabiliter codex saltem ad unum folium, in quo esset subscriptio cujusmodi fere numquam deest in libris Hexaplaribus, vel si plura desunt, aut liber alius sequebatur, aut excerpta aderant, ut in 4 Regum in codice Parisiensi et ad calcem Job in Ambrosiano. Sed alterum librum fuisse additum minus probabile putarem, cum unus insit liber ceteris manuscriptis Hexaplaribus ejusdem cum nostro habitus externi, et contra morem codicum similis formae magnae nimis molis extitisset. Foliorum numerum, imo et paginam semper ex codice adnotavi in mea editione. Quae vero folia mutila sunt, vel solum male habita non vacat commemorare, cum ex mea editione, ubi, si e re erat, obiter indicavi, quisque possit eruere, si id scire utile est.

Codex prouti nunc est, haec continet:

Folio 1 r.⁰ ab alto ad infra charactere estranghelo duplicato ܕܬܠܝܬܝܘܬܐ *Trinitatis*, ubi ܕ paullo altius ceteris literis ponitur. Fol. v.⁰ rudis imago atramento delineata est, infra quam ex iis, quae apparent,

septem fere lineae scriptae subjiciuntur, quae ita obliteratae fuerunt, ut vix literam aliquam singularem liceat expiscari; erat autem scriptura, ut videtur, media inter *estranghelam* et *maroniticam* et codice recentior. Utrum hoc folium codici primitus pertinuerit, an serius in compingendo libro additum, nescio, cum membranae qualitatem ejusque nexus cum codice conditionem oblitus sim animadvertere. Quidquid sit, si id codici pertinebat, erat vacuum, si primum excidit, unum tantum excidit initio Quinternionis primi computatis duobus quae post 2 et 6, quae nunc exstant, perierunt (cf. pagg. 4, 9, 13, collatis et XIII et XV). Quod quidem folium vel vacuum erat, vel lectionum ecclesiasticarum indicem habebat, ut liber Exodi, vel nonnisi exigui quid, non vero continere poterat pro minimo spatio historias illas Interpretum, quas Hexaplis suis praemisisset Origenes ex Montfaucon, *Hex. Orig. Prael.* I, VII.

Fol. 2-8: *Capitula Genesis* mutila passim in textu, praeterquam quod folia duo in medio et alia a fine exciderunt.

Fol. 9-46: Gen. IV, 8-IX, 24; XVI, 2-12; XX, 1-12; XXXI, 53-XXXII, 11; XXXVI, 2-XL, 17; XLIII, 1-XLVII, 16; L, 17 ad finem. Vix lacuna unius alteriusve vocis, vel literae in his quae supersunt. Lacunas foliorum suo singulas loco tractavi.

Codex est membranaceus; ad rationem *metricam* appellatam demensus altus est 0, 22, latus 0, 135: textus altus 0, 16-0, 17, latus 0, 085-0, 09, notis marginalibus non computatis, quae minus regulariter locum tuentur: margo exterior codicis latus 0,03 fere, interior fere 0, 018, superior fere 0, 021-0, 023, inferior demum fere 0,032-0,035. Membrana saepe resecta fuit in margine exteriori laterali, forte et in aliis externis.

Pagina unam habet columnam. Lectiones vero Interpretum, variantes, scholia, ceteraque marginalia scribuntur de more in margine exteriori, interdum in superiori et inferiori; notae tamen Capitulorum, Sectionum, Lectionum ecclesiasticarum in Capitulis praemissis, et numeri Stichorum in margine a dextra legentis scribuntur. Ceterum cum, quatenus fieri potest, habitum codicis servaverim, nisi quod lectiones marginales et scholia cum notis lectionum ecclesiasticarum et stichorum infra textum ablegavi, de omnibus vero quae e re erant adnotaverim, quisquis potest ex mea editione conditionem codicis conjicere.

Character codicis est *estranghelo* in textu LXX et Capitulorum, atque in notis Capitulorum et Sectionum, in titulis in fronte Capitulorum ac in fine Quinternionum et in istorum notis, in rubricis inter textum et in subscriptione. Stichorum notae charactere minori eo textus exarantur, eoque medio inter *estranghelum* et *maroniticum*, ut apparet ex ullis locis, nam saepe literae eaedem in isto medio charactere et in *estranghelo*. Lectiones Interpretum ceteraque marginalia utuntur charactere medio et eo textus longe minori. Si quid usquam recessum est, adnotavi. Graecae voces exarantur charactere unciali eoque conformato ad eum, quo ex aetate sua suisque codicibus, modo non ultra saeculum VI ascenderent, uti debebat Paulus Telensis, vix de more inclinante ad deflexum, quo Graecus homo de more usus fuisset aetate codicum Syro-Hexaplarium. Ex imitatione proxima vel remota Graecae scriptionis Pauli Telensis eam Hexaplarium codicum omnium pendere inde arguo, quod in amanuensium pro codicibus diversis multitudine varietas vix exigua intercedit et talis, saltem de more, quae eandem singularem scripturae conditionem refert. Similis vero est prae ceteris scripturae Galeni palimpsesti, quorum partes conservantur in Bibliotheca Vaticana et Guelferbitana, et tabulis repraesentarunt Mai in *Juris Civilis Antejustinianei Rel.*, Tischendorf, *Bibl. Sin.* edit. maj. Tab. XXI; seculo VII tribuit Tischendorf codicem istum (Proleg. IIII, initio), eo vero ineunte Paulus Telensis versionem Syro-Hexaplarem confecit.

Rubricae inter textum, titulus et notae Capitulorum, tituli in fronte paginae ultimae Quinternionum, subscriptio minio exarantur charactere etiam eo textus interdum paullo majori. Puncta tamen diacritica in istis quoque atramento scribuntur ex more Syro, non semper tamen in omnibus codicibus servato. Omnia quae minio exaran-

tur, *estranghelo* charactere dedi, non nimis felici illo quidem, sed quo uno uti licuit.

Indices marginalium sunt qui in aliis codicibus Syro-Hexaplaribus usuveniunt, ex Graecis imitati, ut apparet collatis codicibus Coisliniano I, Sinaitico cum Friderico-Augustano, Ambrosiano *A.* 147. *Inf.*, aliis vetustis. Graecae voces de more, non semper, crucem pro indice habent. Interdum desunt indices vel in margine, vel in textu et in margine; ubi certus erat per se locus, cui referebantur lectiones marginales, de more nec indicavi defectum parcens chartae.

Character *estranghelo* codicis est simplex et elegans, manu firma ac libera exaratus, nec gaudet ut plurimum crassioribus ductibus et grandioribus, qui fere obtinent in ceteris Hexaplaribus, excepto Ambrosiano, qui saepe cum illo fere convenit, literis tamen utens longe minoribus. Quantum nunc commemoro, accedere mihi videbatur ad antiquiores codices et ad ipsum celeberrimum *Theophaniae Eusebii*, etc. Musei Britannici, speciem characteris quod attinet, quin tamen omnino cum eo conveniat, ut par est ex utriusque aetate, quae certo differt saltem duobus seculis et aliquot annis, cum ille sit A. D. 411, et noster versionem contineat A. D. 616 fere inceptam. Cf. T. I, fasc. I, Prolegom. p. III, IV. Licet vero unus amanuensis codicem exaravit, non in eadem ductuum proceritate ac crassitie perseveravit, sed paullisper variavit, ut fere usuvenit in omnibus libris manuscriptis. Interdum demum literae, quae non solent connecti cum sequenti, in fine vocis una et lineae producuntur ductu recto fere adjecto ad lineam ipsam implendam, ut fol. 2 r.º l. 8, fol. 3 r.º l. 9, fol. 28 r.º l. 16, quod et in aliis libris vidi.

Interpunctio major, sive parvarum Sectionum, in codice fere semper constat quatuor punctis nigris rubrum medium circumstantibus; sed et aliqua varietas usuvenit. Aliquali ratione dedi, ut potui. Cum hac majori interpunctione, quae Graecis vetustis codicibus ignota ex Syro more est, componi potest nota -+-, quae in margine apposita est saepe, ubi illa occurrit, et collatis nostro codice initio et diligentiore in his Ambrosiano, ubicumque illa in textu apponitur, adhiberi debuisset. Haec vero nota Hexaplarium librorum, ex Graecis omnino desumpta codicibus, aliis enim Syris deest quantum novi, exhibet nobis parvas Sectiones Graecorum codicum, et collato nostro libro cum vetustissimo Graeco Ambrosiano, quem vide in III tomo editum, evidenter apparet idem systema utriusque libri; licet aliqua in Syro oscitantia deprehendatur in omissione notae marginalis, quae facilius negligi poterat, et diligentior fuerit in interpunctione majori inter textum, quae fere reddit notam marginalem Graeci codicis; nec ausim omnino eandem asserere de utroque codice in hac re conditionem, cum in ullis locis, quos quisque facile reperiet conferendo, diversitas deprehendatur, quae non ex oscitantia, sed ex diversa in ullis particularibus ejusdem systematis evolutione repetenda sunt. Ceterum reperitur hujusmodi nota, longe parcius tamen quam in nostro, in Sarraviano Hexaplari, de quo ut et de nota Graeca in genere confer quae dico in Praefatione T. III, p. XIV, seq.

Aetas codicis ex notitia Catalogi initio allata esset seculi fere VI, quod ut recte dici poterat de tribus partibus libri simul sumptis, sic de nostro ex epocha versionis ita est intelligendum, ut infra A. D. 615 protrahatur. Sed seculo VII non posterior videtur et mihi ex charactere noster codex, et antiquissimus omnium Hexaplarium ipsiusque Exodi, quem A. D. 697 scriptum declarat subscriptio.

Codex, quod linguam attinet, correctissime exaratus est, vixque unus alterve locus, quem in notis attigi, dubii aliquid habet. Non item vero quoad correctionem textus Hexaplaris; ubi tamen distinguendum inter sphalmata, quae in suo archetypo jam erant, quacumque ex parte fuerint vel ex ipsis Graecis codicibus, quibus Paulus Interpres usus est, et ea, quae ipsi amanuensi tribui vere possunt. Quisque vero videt, deficientibus testibus vetustissimis Hexaplaribus et Syris et Graecis, si pusillum quid Sarraviani excipias, nihil posse definiri de auctore sphalmatum prioris generis, sed solum in genere argui ex criticis argumentis,

vel etiam ex textibus Graecis indicari; quod suis locis data occasione feci. Item fere semper incerti sumus de iis, quae amanuensi tribui possunt, testibus Syris deficientibus, nisi sint ejusmodi, quae ex habitu codicum Syro-Hexaplarium cum aliqua probabilitate non Paulo, nec ejus Graecis codicibus, sed amanuensibus Syris tribui debent; qua in re parum refert nostrine codicis amanuensi, an ejus antecessoribus sint danda. Cujusmodi sunt praesertim errores ex omissione notarum Origenis, asterisci nempe, obeli, metobeli, quas codices Ambrosianus et Londinensis Exodi, qui prae ceteris correcti mihi videntur, diligentius solent apponere majori fide tuentes textus Pauli conditionem, qui optimos codices Graecos nactus est, ut ex documentis in Prolegomenis demonstrabitur. Haec quoque sphalmata, ubi subolere potui, in notis attigi, sed fere in genere errorem indicans, cum reapse de singulis ex rei natura difficulter, vel omnino non definire liceat, utrum amanuensis, an Graecus archetypus Pauli in illo loco erraverit. Aliquid subsidii in hac re ex versione Arabica Hareth ben Senan percipire licuisset, sed vix id praestare potest Holmesiana ejus collatio. Sed in summa certa haec sunt, nostrum quidem codicem minus exacte quoad notas Origenis repraesentare textum Hexaplarem, prouti ab illo constitutus fuit, ut patet ex ms. Sarraviano, quem contuli per omnia cum nostro XXXI, 53-XXXII, 11; XXXVI, 2-18, sed econtra illum textum pro lectione magna fide referre patet ex eodem Sarraviano aliisque codicibus, licet interdum aberrare et ipsum appareat ex notis meis, tum in locis allatis, tum alibi, ut XLVII, 4. Excerpta demum Interpretum quod attinet, parcior quidem est noster liber prae plerisque Hexaplaribus, sed utrum ejus amanuensi, an Graecis codicibus sit danda ista paupertas, non liquet. Sed ex Graecis documentis, quae in notis meis retuli, fide dignus est in tribuendo suis auctoribus lectiones, quas cuique Interpreti assignat; sicubi vero peccavit, adnotavi. Demum ad Pauli certe archetypum non mediocriter nostrum codicem accedere, arguere licet etiam ex scripturae diligentia textum et linguam quod attinet, et ex ejus aetate, quae proxime ab Interprete abest.

Num codex totus revisus fuerit, ut suspicor factum in pluribus saltem libris codicis Ambrosiani, non satis habeo argumenti ut asseram; licet aliquam revisionem innuat unus alterve locus prima manu retractatus, nisi id in actu scriptionis factum fuerit. Serioribus curis autem nil quantum memini inductum varietatis, sed interdum indices marginalium vel in textu, vel in margine, vel utrobique delentur plus minus; quod praesertim factum saepe pro indicibus, interdum et pro ipsa voce in ܦܣܩܐ, et ܒܬ ܦܣܩܐ; qua de re confer quae dixi p. 109. Novis curis etiam danda instauratio atramenti saepe facta in marginalibus lectionibus et notis, quae ex novi atramenti colore satis antiqua videtur. Demum et puncta diacritica alicubi apposuit serior manus, ut ex forma, atramento et indole codicis arguebam; quae ego omnia suppressi, appositis tantum certis primae manus vel saltem probabilibus; interdum enim conditio mala membranae dubia vel omnino evanida reddidit, nec volui ipse supplere. Ceteras quoque curas seriores, quas innui, non curavi de more, ut par erat ex earum indole, nisi forte primam scripturam immutarent.

